Quaestio de visione Dei.

QVÆSTIO

DE

VISIONE DEI,

In Alma Academia Cracouienſi

Præſidente

Adm. Rńdo Domino

IACOBO VSTIENSE,

S. Th. & I. V. Doctore, Præpoſito S. Floriani & SS. Omnium, Facultatis Theologicæ Decano

A

M. PAVLO HERCIO S. Th. Profeſſore, Decano Opatouien. Canonico S. Floriani publicè ad diſputandum

PROPOSITA.

In Lectorio DD. Theologorum.

CRACOVIÆ,

In Officina Typographica Franciſci Cæſarij, Anno D. 1647.

QVicquid veniens ex eo quod fuit, non cessat tendere in id quod erit, transitum sanè habet per est, sed omninò non est. Nam quomodo est quod nunquam in eodem statu permanet? Solum proindè verè est, quod nec à fuit præciditur, nec ab erit expungitur, sed solum atq; inexpugnabile remanet ei est, & manet quod est. Nec fuit tollit illi esse ab æterno, nec erit esse in æternum: ac per hoc sibi vendicat, verum esse, id est increabile, interminabile, inuariabile. Cùm igitur ipse qui sic est, imò qui non sic aut sic est, videtur sicuti est, stat illa visio, quia nulla eam interpolat vicissitudo. Nam & quod apparet vt inuariabile in se est, ita inuariabiliter intuentibus præsto est: & quibus apparet nil videre desiderabilius volunt, nil possunt delectabilius. Quando ergo illa vel fastidiet auiditas, vel subtrahet suauitas, vel fraudabit veritas, vel deficiet æternitas? Quod si in æternum extenditur dendi copia pariter & voluntas, quomodo non plena fælicitas? Bern: super Cantica Serm: 31.

QVÆSTIO
DE
VISIONE DEI.

V. DEVS à nobis quidem viatoribus lumine naturali quatenus eſt prima cauſa, & lumine reuelationis, vt eſt creator, redemptor, & glorificator, abſtractiuè apprehendatur: à Beatis verò in patria lumine gloriæ perfuſis intuitiuè ita cognoſcatur, vt in illius eſſentia licèt non omnia quæ Deus facit & facere poteſt, multa tamen ex decreto Diuinæ voluntatis, & præſertim ea quæ ad proprium cuiuſque Beati ſtatum ſpectant, videantur, necne?

CONCLVSIO I.

Deus est prima causa omnium productiua.

COROLLARIA.

1 *Datur in Deo actiua potentia quæ quidem idem est quod substantia & actio Dei.*

2 *Esse creaturarum est proprius effectus primæ & vniuersalissimæ causæ.*

3 *Vnum tantummodo ens necessarium est, cætera verò extra ipsum possunt non esse.*

4 *Deus præhabet in se perfectiones omnium creaturarum, estq́; simpliciter & vniuersaliter perfectus.*

5 *Essentia Dei est expressissima similitudo rerum & viuum exemplar, quod omnes creaturæ pro modulo suo imitantur, & à quo participant quicquid sunt, & quicquid habent.*

6 *Causa vt entitatis ita & distinctionis rerum prima est intentio Dei creaturis perfectiones diuersas conferre volentis.*

7 *Non solum id quod est actus, sed & id quod est potentia ad actum creatur à Deo, sed creatur vt coniuncta actui, non vt in se actus.*

CONCLVSIO II.

DEVS à nobis viatoribus abstractiuè cognoscitur, lumine quidem naturali vt est prima causa, lumine verò reuelationis, vt est creator, redemptor, & glorificator.

COROLLARIA.

1 *Proprietates diuinæ non cognoscuntur à nobis viatoribus prout sunt in Deo, sed prout resplendent in creaturis.*

2 *Species creata essentiam diuinam repræsentat secundario, deficienter, diminutè, & secundum conuenientiam analogam, quam habet Deus cum tali creatura.*

3 *Quamuis nostra ratio pertingere naturaliter non possit ad primum ens vt de ipso sciat quid sit, potest tamen de eo cognoscere an sit.*

4 *Esse in Deo est per essentiam in alijs verò per participationem.*

5 *Intellectus naturalis ordinis quantumcunq; crescat in infinitum, nunquam tamen perfectionem intellectus lumine gloriæ perfusi adæquare potest.*

6 *Multò plura & clariùs cognoscuntur à nobis in hac vita per gratiam quàm per naturalem rationem.*

7 *Desiderium videndi Deum ex visione effectuum ipsius naturalium exortum inefficax est & conditionatum.*

CONCLVSIO III.

Visio Dei beatifica non solum est intellectui creato possibilis, sed etiam de facto beati intuitiuè Deum vident.

COROLLARIA.

1 *Intellectus creatus ad beatificam visionem merè passiuè se non habet.*

2 *Potest homo peruenire ad finem supernaturalem per auxilium Dei, non vt author est naturæ, sed vt author est gratiæ.*

3 *Supremus & perfectissimus modus nempè intellectualitèr coniungendi se cum suo principio nempè Deo intellectui non creato non repugnat.*

4 *Quamuis Deus & creatura conuenire non possint in vna ratione formali Quæ ijsdem intrinseca; bene tamen in vna ratione formali sub qua conuenire possunt.*

5 *Intellectus creatus lumine fidei excitatus & adiutus visionem Dei per essentiam esse possibilem cognoscere, & demonstratione Theologica ostendere potest.*

6 *Quam-*

6 *Quamuis Deus infinitus ſit, non obſtante tamen hac infinitate vniri poteſt intellectui creato finito modo.*

7 *Quamdiu creatus intellectus ſolum cognoſcit Deum ex effectibus & non immediatè in ſeipſo, ſemper ei deeſt aliqua perfectio in cognitione talis obiecti, & ſic deſiderium eius cognoſcendi eſſentiam diuinam hoc modo non expletur.*

CONCLVSIO IV.

Deus à Beatis videtur per lumen gloriæ quod ex parte ſua complet, eleuat, & confortat potentiam in ordine ad claram Dei viſionem.

COROLLARIA.

1 *Ad videndum Deum vt eſt in ſe, non ſufficiunt auxilia quantumuis ſpecialia & gratuita ordinis naturalis, ſed requiruntur vires gratuitæ ordinis ſupernaturalis.*

2 *Intellectus creatus lumine gloriæ perfuſus ordinis diuini efficitur, poteſtq́ inter ipſum & diuinam eſſentiam velut obiectum intelligibile eſſe proportio.*

3 *Per nullam ſimilitudinem creatam, quæ ſe teneat ex parte obiecti eſſentia Dei videri poteſt.*

4 Eſſen-

4 *Essentia diuina vt videatur, requirit sui ordinis dispositionem ex parte videntis.*

5 *Lumen gloriæ pertingere potest ad actionem superioris ordinis, ad quam essentia Angeli non potest pertingere.*

6 *Non potest dari creatus intellectus supernaturalis qui per modum potentiæ simplicis & totalis tendat in Deum vt in se est, ac proindè eliciat actum supernaturalem visionis.*

7 *Dum videtur à beatis Deus vt est in se, ex vi beatificæ visionis videntur attributa, & relationes, similiter visa vna persona videntur & aliæ.*

CONCLVSIO V.

Beati in patria inæqualiter Deum vident.

COROLLARIA.

1 *Quemadmodum Deus cum in futura vita peccata punit seruat rationem iustitiæ, ita vt maioribus peccatis maiores infligat pænas, ita dum beatificam visionem tribuit per modum coronæ, seruat rationem iustitiæ.*

2 *Lumen gloriæ cum quædam qualitas habitualis sit, habet gradus intensionis & remissionis.*

3 Per

3 *Per denarium diurnum laborantibus in vinea datum, intelligitur beatitudo obiectiua non formalis.*

4 *Quamuis lumen gloriæ vt & visio beatifica in infinitum crescere possit in intensione, non tamen in perfectione specifica.*

5 *Horum quæ Deus facit, & facere potest, tantò aliquis intellectus plura cognoscit, quantò perfectiùs Deum videt.*

6 *Essentia diuina in ratione speciei considerata quamuis intellectui creato vniatur tota, non tamen totaliter.*

7 *Nulli intellectui creato potest se vnire diuina essentia prout est omnium creaturarum repræsentatiua, propter limitationem intellectus creati, & propter limitationem luminis gloriæ.*

CONCLVSIO VI.

Beati videntes DEVM vt in se est, ex vi beatificæ visionis non omnia in eo vident.

COROLLARIA.

1 *Diuina essentia comprehendi non potest ab intellectu creato simpliciter, etiam prout est causa alicuius effectus in particulari.*

2 *Diuina eſſentia non eſt neceſſariò repræſentatiua ſui ipſius prout eſt omnium creaturarum idæa.*

3 *Quod iſtæ aut illæ creaturæ intellectui creato repræſententur, prouenit ex diuina voluntate, qua Deus inellectui creato eſſentiam ſuam vnire vult prout eſt repræſentatiua & idæa creaturarum harum non illarum.*

4 *Actualia attributa Dei quæ actualem reſpectum ad creaturas important, non eſt neceſſe vt cognoſcantur viſa diuina eſſentia.*

5 *Soli intellectui diuino eſſentia diuina naturalitèr ex æquo creaturas omnes repræſentat.*

6 *Effectus futuri aut non futuri quoad ſuam futuritionem vel non futuritionem cum diuina eſſentia connexionem non habent, niſi ratione decretorum diuinæ voluntatis.*

7 *Anima quoq; Chriſti eſſentiam diuinam non comprehendit.*

CONCLVSIO VII.

Quæcunque ad ſtatum cuiuſque beati ſpectant, ea in diuina eſſentia ab illo videntur.

COROL-

COROLLARIA.

1 *Eſſentia diuina intellectui beati creaturas tanquam ſpeculum voluntarium repræſentat.*

2 *In beatifica viſione dùm beatus ea quæ ad ſtatum ſuum ſpectant videt, omnis eius expletur appetitus.*

3 *Angeli beati non cognoſcunt plene omnes cogitationes Dei, neq; myſteria omnia quæ pendent ex libera diſpoſitione diuinæ voluntatis.*

4 *Beatus videre poteſt & de facto videt etiam cogitationes cordis, quæ peculiari ratione ad eum diriguntur.*

5 *Quod Angeli ad cuſtodiam & gubernationem huius vel illius prouinciæ deputentur, hoc illis conuenit non vt beati ſunt, ſed vt miniſtri ſunt.*

6 *Myſteria fidei quæ per fidem in via cognoſcimus beati in diuina eſſentia intuentur.*

7 *Moyſi in hac adhuc vita reuelata fuerunt aliqua gratiæ myſteria iuxta diſpoſitionem diuinæ voluntatis.*



Sub felicibus auſpiciis

Admodum Reuerendi & Magnifici Domini.

D. IACOBI VITELLII

S. Th. Doctoris & Profeſſoris,

Decani S. Floriani,

Almæ Academiæ Cracouienſis

VIGILANTISSIMI

RECTORIS.